

**376.** Hostia maior seu Sacrificii sit integra, non fracta, candida, pura et rotunda. Idem valet de hostiis pro Fidelium Communionem.

**377.** Cum minori hostia celebrare licet, si absit hostia maior, et hoc fieri possit sine admiratione Fidelium.

**378.** Magna sollicitudine hostiae consecrandae, maiores et minores, a Sacrista a micis et segminibus liberandae sunt, ne posteaquam consecratae sunt, decendant ac pereant.

**379.** Praeter panem triticeum, ad Sacrificium Missae requiritur vinum de vite, fermentatum, non mustum, clarum, et non corruptum aut acidum. Omnis alius liquor, v. g. ex pomis aut aliis fructibus confectus, est materia illicita et invalida; vinum vero quod acescere aut corrumpi incipit, materia quidem valida est, sed graviter illicita.

**380.** Vinum album pro Sacrificio praeferendum est rubro, propter linteorum munditiam, non vero propter liceitatem aut validitatem.

**381.** Aqua, quae vino consecrando in Sacrificio Missae in modicissima quidem quantitate infunditur, sit naturalis, pura ac limpida.

**382.** Vinum ante consecrationem in Calice congelatum, consecrari nequit antequam liquefactum fuerit halitu aut alio artificiali modo.

**383.** Ad distinguendum vinum ab aqua, et propter munditiam maiorem, iuxta Rubricas <sup>1</sup> requiritur, ut ampullae sint ex vitro vel crystallo confectae, nun-

<sup>1</sup> Rubr. gen. Missal. t. XX.

quam vero ex plumbo aut alio metallo communi. Ampullae ex auro, argento aut alio metallo pretioso permittuntur <sup>1</sup>, statui autem nostro parum sunt convenientes.

§ VI. — *De aliquibus defectibus in celebratione Missae occurrentibus* <sup>2</sup>.

**384.** Quidquid validitati, liceitati, sanctitati et decori Missae Sacrificii contrarium exstat, omni diligentia est a Celebrante evitandum: est enim Sacrificium sanctissimum et tremendum, id est Sacrificium, quod prae sanctitate Sacerdotem facit tremere.

**385.** Defectus tamen contingunt aut saltem contingere possunt, et quidem primo ex parte materiae, secundo ex parte formae, tertio ex parte Ministri seu Celebrantis, et quarto defectus, qui in ipso Ministerio occurrere possunt.

**386.** DE DEFECTIBUS MATERIAE. — Ad valide et licite celebrandum requiruntur panis triticeus et vinum de vite, et ut utraque species sit integra et incorrupta, et in actu celebrationis praesens. Quidquid huic contrarium est, Sacrificium invalidum, aut saltem illicitum reddit, et quantum possibile, in ipso Sacrificio emendari aut corrigi debet. Ergo:

**387.** Si panis non sit triticeus, vel si triticeus, sed aliis grani speciebus in tanta quantitate admixtus, ut non maneat triticeus, Sacrificium est invalidum. Idem dicendum, si panis sit corruptus.

<sup>1</sup> S. Rit. C. 28 April. 1866.

<sup>2</sup> Vid. Missale Rom. De Defect. in celebrat. Missar. occurrentibus.



388. Si panis non sit corruptus, sed corrumpi incoeperit, aut si non sit azymus, Sacrificium est validum, sed valde illicitum.

389. Si panis confectus fuerit non cum aqua naturali, sed alterius fluidi aut distillationis, e. g. cum aqua ex rosis, etc., Sacrificium dubium est.

390. Invalidum est Sacrificium, si vinum factum sit penitus acetum, vel putridum, vel de uvis acerbis seu non maturis expressum, vel ei aqua in tanta quantitate fuerit admixta, ut non sit amplius vinum.

391. Validum vero, sed non licitum, et quidem sub peccato gravi, quando vinum incipit corrumpi vel accescere, vel si ei admixtum sit tantum aquae aut alterius liquidi, ut dubium oriri possit, an desierit esse vinum.

392. Si dubia sit materia, non licet cum ea celebrare, et Sacrificium dubium est et illicitum.

393. Si Celebrans ante consecrationem advertat, quod materia (panis vel vinum) sit invalida, corrupta aut saltem dubia, aliam substituere faciat, oblationem renovet saltem mente, et Sacrificium prosequatur ab eo loco, ubi desierit.

394. Si post consecrationem id advertat, oblationem et consecrationem, posita alia materia id est Hostiae vel Calicis vel utriusque in casu, renovet, et Sacrificium, ubi errorem animadverterit, prosequatur, et hostiam vel vinum benedictum, sed non consecratum quia materia invalida, post consecratas Species sumat, si sumi possint.

395. Si in ipsa sumptione hostiae advertat, quod materia invalida fuerit, aliam hostiam mente saltem offerat,

et in veritate consecret, incipiens formulam consecrationis ab illis verbis: *Qui pridie quam pateretur* usque ad verba consecrationis panis inclusive. Hoc idem faciat cum vino, si illum in sumptione acetum, corruptum, aut aquam non vinum esse, etc. invenit, consecrationem incipiens cum verbis: *Simili modo postquam coenatum est.*

396. Si post sumptionem Calicis hoc animadvertat, rursus novus panis et novum vinum cum aqua offerenda et consecranda sunt, incipiendo a verbis pro consecratione: *Qui pridie* etc., omissis omnibus aliis, et hoc ne Sacrificium remaneat imperfectum, non obstante praecepto ieiunii naturalis, quia integritas Sacramenti praevalet.

397. Si Missa celebretur in loco publico, ubi plures adsint, ad evitandum scandalum poterit apponere vinum cum aqua, et facta oblatione, ut supra, consecrare et statim sumere ac prosequi caetera.

398. Si non fuerit immissa aqua in Calice, et si error ante consecrationem advertitur, statim aqua immittitur omissa solita Oratione; si post consecrationem Calicis, non apponitur, quia aqua non est de necessitate Sacramenti.

399. Si materia valida et licita loco invalidae et illicitae haberi nequit, v. g. panis triticeus, ante consecrationem Sacrificium interrumpitur; si error post consecrationem animadvertitur, et materia valida haberi nequit, tunc Sacrificium propter honorem Speciei consecratae (panis vel vini) debitum continuatur, et absolvitur, omissis tamen omnibus verbis et signis, quae ad speciem deficientem pertinent.



400. Ne Sacrificium imperfectum maneat, licet exspectare aliquamdiu (nonnulli dicunt etiam per duas horas) si materia haberi potest.

401. Quaecumque ex causa naturali vel supernaturali Hostia consecrata dispareat, aut si Calix consecratus casu evertatur et SS. Sanguis effundatur totus, ita ut per modum potus non possit amplius sumi, Hostia vel Calix noviter consecranda sunt modo n. 395 indicato.

402. DE DEFECTIBUS FORMAE. — In celebratione Missae omnia verba clare, distincte et integre pronuntianda sunt; omnis additio, omissio, mutilatio aut immutatio omnino est prohibita.

403. De essentia pro integritate et validitate Sacrificii sunt sola verba consecrationis, quae sunt pro consecratione Hostiae: *Hoc est Corpus meum*, et Calicis: *Hic est Calix Sanguinis mei*. Quae si Celebrans certo recordetur, se omisisse, aut mutilasse, aut immutasse, ita ut per immutationem idem non significarent, consecrationem speciei respective specierum ante sumptionem renovare debet, et etiam post sumptionem unius aut utriusque speciei antequam de Altari discedat, quia integritas Sacrificii praevalet legi ieiunii naturalis. Graviter tamen peccaret, licet valide consecraret, qui unum etiam verbum scienter omitteret ab illis *Qui pridie usque ad Haec quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*.

404. Si dubium de validitate consecrationis grave est aut valde probabile, consecratio saltem sub conditione reiteretur; si sine fundamento, omittatur.

405. Aliae partes Sacrificii omissae, ut v. gr. *Gloria*, *Credo*, aut aliqua Oratio Canonis, etc., non resumantur,

nec Sacerdos, si horum recordatur, debet propterea turbari, sed ulterius prosequatur, quia non sunt de necessitate Sacrificii. Cavendum tamen est omni diligentia a talibus omissionibus.

406. DE DEFECTIBUS EX PARTE MINISTRI. — Tres species defectuum ex parte Ministri occurrere possunt. Prima est ex parte intentionis, hoc est, si Sacerdos non intendit celebrare, sed delusorie quid agit, quod esset peccatum grave; aut ad Altare accedit, quin intentionem celebrandi faciat, quod vix possibile et certo inexcusabilis negligentia esset; aut si expressa intentione consecrandi unam solam hostiam, quae intentio semper est implicita, post consecrationem, aut ante, vel post sumptionem aliam hostiam super Corporale invenisset, haec altera non est consecrata, sed sumenda post abluitionem: secus vero si duae Hostiae fuissent simul iunctae, utraque consecrata est et a Sacerdote sumenda. Caeterum quilibet Sacerdos semper intentionem habere deberet consecrandi eas omnes hostias, quas ante se ad consecrandum positas habet.

407. Intentio in actu consecrationis debet esse actualis, propter sanctitatem Sacrificii; virtualis tamen ad validitatem sufficit, sed magnae evagationis mentis signum est.

408. Alii defectus esse possunt ex dispositione animae, scilicet: si Celebrans sit suspensus, excommunicatus, degradatus, irregularis, vel aliis impedimentis canonicis irretitus, aut in statu peccati gravis. Talis quidem valide celebrat, sed illicito, et graviter peccat.

409. Si quis in casu necessitatis non habens copiam Confessarii, in peccato mortali celebret, contritus qui-



dem et cum intentione et proposito confitendi quam primum et satisfaciendi, non peccat graviter.

**410.** Si quis in ipsa celebratione, sed ante consecrationem recordetur seipsum esse suspensum, irregularem, in statu peccati gravis, aut locum esse interdictum, etc. a celebratione recedat, si absque scandalo aut admiratione fieri potest; si post consecrationem, Missam incoeptam proseguere debet.

**411.** Alii tandem sunt, defectus ex dispositione corporis, i. e. si quis non est ieiunus a media nocte, quamvis in modicissima quantitate per modum cibi, vel potus, vel medicinae quid sumpserit, aut infirmetur, aut moriatur durante celebratione.

**412.** Si Celebrans ante consecrationem infirmetur ita, ut de Altari discedere debeat, et spes non affulgeat, ut infra parvum temporis spatium Missam continuare possit, Missa interrumpatur.

**413.** Si Celebrans post consecrationem infirmetur aut moriatur, alter Sacerdos etiam non ieiunus, si ieiunus non adsit, Sacrificium complere debet. Ratio est, quia integritas Sacrificii praevalet legi ieiunii.

**414.** Sacerdos, qui in casu mortis aut infirmitatis Celebrantis Sacrum perficit, eo die ulterius celebrare non potest.

**415.** Si Sacerdos talibus laboret defectibus corporis, ut celebratio, aut quasi impossibilis, aut valde difficilis reddatur et populi admirationem provocet, a celebratione Missae absteineat.

**416.** Sacerdos impeditus in uno brachio, qui nequit cum utraque manu elevare SS. Sacramentum nisi usque ad os, cum tamen una tantum manu idem elevare possit

supra caput, absque dispensatione Apostolica celebrare nequit <sup>1</sup>.

**417.** Sacerdos, cuius dextera est impedita ex apoplexia, a celebratione abstinere debet.

**418.** Caecus, aut quasi-caecus celebrare nequit; semicaecus solummodo cum Apostolica dispensatione et assistentia alterius Sacerdotis.

**419.** In casibus dubiis pro celebratione Missae propter defectus corporales, recurrendum est ad S. Sedem.

**420.** DE DEFECTIBUS IN MINISTERIO IPSO OCCURRENTIBUS. — Multi sunt defectus, qui in ipsa celebratione occurrere possunt, e quibus in particulari sequentes indicantur.

**421.** Non licet celebrare Missam in loco vel Altari non sacro, tempore indebito, vestibibus sacerdotalibus non benedictis, vasibus non sacris, aut quocumque modo exsecratis, sine Missali, quamvis Sacerdos totam Missam memoriter sciat: uno verbo, si in loco, Altari, vestibibus, etc. ea desint, quae pro celebratione Missae requiruntur, et si desit Clericus, vel alius deserviens in Missa, vel adsit sola mulier, quae servire non debet <sup>2</sup>. In his casibus a celebratione est abstinendum sub gravi, interrumpenda Missa, si Celebrans ante consecrationem horum recordetur, continuanda, si solummodo post consecrationem.

**422.** Si durante celebratione periculum incendii, alluvionis, ruinae loci, insurrectionis populi, incursus hostium, etc. etc. immineat, Missa ante consecrationem

<sup>1</sup> S. Rit. C. 2 Iulii 1661, in una Pisaur.

<sup>2</sup> Permittitur tamen ex necessitate, ut mulier respondeat, dummodo non accedat ad Altare, ut Sacerdoti ministret.



dimittatur; si post consecrationem, omissis omnibus, Sacerdos Species consecratas sumat et de Altari discedat.

**423.** Si excommunicatus vitandus adesset et expelli nequeat, Missa ante Canonem interrumpatur; si, incepto Canone, hoc animadvertatur, Celebrans cum solo Ministrante Missam usque ad Communionem inclusive continuet, postea ab Altari discedat et reliqua in Sacristia persolvat.

**424.** Si musca, aranea, aliaque res ante consecrationem in Calicem ceciderit, quae nauseam causet, species oblata in locum decentem proiciatur, et oblatio vini renovetur; si vero post consecrationem, et nauseam provocet, Celebrans eam extrahat, cum vino lavet et, finita Missa, comburat: combustio et lotio dein in Sacrarium proiciantur. Si vero nullam nauseam Sacerdoti creet, nec periculum Celebrans timeat, sumat cum SS. Sanguine.

**425.** Si sumptio vomitum provocaret, aut si quid venenosum in Calicem ceciderit, aut Hostiam tetigerit, nova oblatio et consecratio est facienda; post Missam vero, illa Hostia in Tabernaculo deponenda et asservanda est in loco separato, usque dum corrumpatur, et corrupta in Sacrarium dimitti potest. Sanguis vero panno linteo vel potius stuppa colligatur, stuppaque conservetur donec Species vini penitus est siccata, ac dein comburatur et in Sacrarium dimittatur.

**426.** Cum hostia fracta non est celebrandum. Si post oblationem fractio observetur, nisi populo evidenter appareat, talis hostia consecrari potest; si autem scandalo populo esse possit, altera hostia accipiatur et

offeratur: prima vero hostia iam oblata post sumptionem SS. Specierum sumatur, quia est benedicta.

**427.** Si Hostia consecrata in formatione Crucis, etc. in Calicem dilabatur, nihil est renovandum, sed omissis signis respectivis Missa est continuanda, et Hostia et Sanguis simul sumenda sunt dicendo: *Corpus et Sanguis Domini nostri* etc. Si vero aliqua quamvis parvula pars non madefacta fuerit, cum hac parte omnia signa perficiuntur.

**428.** Quid faciendum sit, cum Sanguis congeletur, vide supra num. 382.

**429.** Si Hostia, aut pars Hostiae quacumque ex causa in terram dilabatur, reverenter accipiatur, et locus ubi cecidit abradatur aliquantulum, lavetur, et abrasio ac aqua in Sacrarium proiciantur. Si ceciderit extra Corporale in mappam aut linteum, haec laventur, et aqua mittatur similiter in Sacrarium.

**430.** Si Sanguis effundatur super Corporale, super Altare, mappam, in terram aut etiam in vestimenta Sacerdotis, lingua ubi fieri potest, lambatur terra, Corporale, vestimenta, etc. ter laventur, locus in terra etiam satis radatur, et aqua ablutionis in Sacrarium proiciatur: rasio vero comburatur, ac dein cineres in Sacrarium mittantur.

**431.** Si Sacerdos Eucharistiam evomat, et si Species adhuc integrae cognoscuntur, nisi nausea fiat, postea ab ipso reverenter sumantur; si non, Species caute separentur, et reponantur in loco sacro donec corrumpantur, deinde in Sacrarium mittantur. Si vero Species non amplius cognoscuntur, vomitum comburatur et cineres in Sacrarium proiciantur.



432. In aliis casibus similibus, qui in ipso s. Ministerio occurrere possunt, Sacerdos non turbetur, praesentiam spiritus conservet, et id faciat, quod ei fides et reverentia erga SS. Sacramentum inspirant.

## CAPUT II.

### DE ACTIONIBUS SPECIALIBUS IN SACRIFICIO MISSAE OCCURRENTIBUS.

#### § I. — De Crucis efformatione.

433. Cruces fiunt extensis ac iunctis digitis dexteræ manus, si modo tempus excipias quod inter Consecrationem et Communionem intercedit, quo pollices et indices manuum, extensis aliis digitis, coniuncti manent.

434. Celebrans se ipsum, populum, aut quamcumque rem versus populum signans, manum sinistram extensam infra pectus collocat; signans vero rem super Altari vel Corporali consistentem, ut Hostiam, Calicem etc. etc., sinistram extensam super Altare collocat.

435. Dum signat vero Evangelium, sinistram ponit super librum<sup>1</sup>.

436. In quavis benedictione per signum Crucis, parvus digitus, cum reliquis digitis coniunctus, vertendus est versus rem cui benedicatur.

437. Lineae Crucis neque adeo exiguae sint, ut Crux vix distinguatur, nec tam longae, ut rem signandam

<sup>1</sup> S. Rit. C. 7 Sept. 1816 ad 25.

valde excedant, ut v. g. frontem, humeros, Hostiam, Calicem, etc.

438. In quocumque Crucis signo peragendo, post primam lineam rectam, quæ semper incipit a parte superiori respectu signantis, manus reduci debet ad medium illius rectæ lineæ, tum vero transfertur ad sinistram partem signantis, dehinc ad dexteram, ac ita linea transversa ducitur.

439. Cruces omnes exacte, distincte et modeste perficiendæ sunt, sine affectata aut agitata manuum vibratione vel nimia celeritate.

440. Ad singulas Crucis lineas, quæ signo fiunt aut contactu, verba diligenter sunt distribuenda. Hinc syllabae aut verba, quæ Crucem in Missali depictam præcedunt, sunt pronuntianda dum prior linea recta efformatur; quæ autem sequuntur, dum efficitur linea transversa.

441. Ante singulas benedictiones aut Crucis efformationes, manus, si non iam sint coniunctæ, ante pectus iungendæ sunt, nisi alterutra sit impedita. Post peractam vero Crucem, non iterum coniunguntur, nisi aliunde sint iungendæ<sup>1</sup>. Sic v. g. in fine *Gloria, Credo* et *Sanctus*, post Crucis efformationem, manus, quin iungantur, statim extenduntur ad osculandum Altare vel peragendam aliam actionem subsequentem.

442. Celebrans ad Altare seipsum signat ter ante gradus, ad *In nomine Patris et Filii* etc., ad *Adiutorium nostrum* etc., et ad *Indulgentiam, absolutionem* etc. post *Confiteor*; ad initium Introitus, exceptis Missis de

<sup>1</sup> S. Rit. C. 12 Novemb. 1831.